

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delinatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Prælectionis Francofurtensis Disputationes Theologice.
- X. M. Sachsii Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bæmiam et Ungaricum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsslii Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de Libertate in Conversione Homini Concurrente.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa B.



Διάλεξις

IN FESTO NATALITIORVM DEI
SALVATORIS HOMINVM:

orta

INTER

ETHNICUM, JUDÆUM, ET
CHRISTIANVM:

in quâ

DE CHRISTO DEO-HOMINE NATO

ETHNICUS *querit, dubitat, oppugnat:*

JUDÆUS *impudenter negat, & ridet:*

CHRISTIANUS *constanter affirmat, vincit, superat.*

conscripta: in

LAVDEM & HONOREM
SACRO-SANCTISSIMI ILLIVS PVERI
& IMMANVELIS NATI:

& dicata: in

Perpetuum μνημείον gratulationis:

Non interiturum τεκμήριον gratitudinis:

Æternum ἀειεῖον AMORIS.

Antiquâ Generis Nobilitate, virtutum Excellentia, erudi-
tionis Præstantiâ Clarissimo Dn. CHRISTOPHORO
VITZTUM à VITZTUM NEÖSCHÖN-
BURGI, ET KLOSTERLICI. &c.

Nobilissimo, & Consultissimo Viro Dn. GEORGIO
OBRECHTO I. C. Sacri Palatii & Aulae Cæsareæ
Comiti: Reipub. Argentinensis Advocato: Acade-
miæq; ejusdem Iuris Primario.

Eruditissimo, & Experientissimo Viro Dn. IOHANNI-
LUDOVICO HAVVENREUTERO Medicinæ
& Philosophiæ Doctori, ac Physices ibidem Professore.

Dominis Patronis Musarum mearum desideratis.

consecrata

à M. VENCESLAO-GEORGIO PERISTERIO CVTENO.

Anno incunte SaLve IManVeL Dei nate.



Ode
five

ἠνεθλια DEI-NOMINIS

O Serena noctis hora:
ô beata nunciantis
Fama, lapsa cælitus:
Quod Patres olim gementes,
Quem sibi nasci petebant:
Has in auras editus.
Hoc **NOVO MIRO** stupebat
Mens, timore, ne puderet
Falleret si gaudium.
Mittitur mox è supernis
Nuncius qui sublevaret
Fluctuantes pectore.
Simplicem sed creditorem
Hæc quidem res postulavit,
Nescit ut quæ fallere?
Pergit ergo & hæc stupenda
Angelus stupore plenis
Nunciat pastoribus.
REX poli soli q; summus
Imperator: quem tremiscit
Cum suis styx regibus,
Parvus est factus, gemit q;
Nudus in crasso rigore,
Natus almâ Virgine.
Huic domum suam negavit
Turba quam sibi sacrauit
Amplians honoribus.
Ite sed vos & videte
In casâ fimo vagante
Vix ibi dato loco:
Cum puellâ vagientem,
Quem boves fovent rigore
Artubus jam luridis,

Ite vos primi Tonantem
Hunc salutantes deinceps
Nunciate ceteris.
Candidum pectus stupendis
His dedit fidem simul q;
Nunciavit omnibus.
Surgit hinc Mundo cachinnus:
Ridet impudens Apella:
Est jocus scelestibus.
Dormit & securus aurem
Negligens, utramq;, curam
De salute pessimus.
Sævit insuper, necat q;
Parvulos, forsân, Tyrannus
Læsus innocentia.
Væ mihi; quid tu tenelle
Vt fugis tantum cruorem
Tam cruentæ beluæ?
Nil nocet; plenus furoris
Vter hic, punctus putrescet
Fætidâ in superbiâ.
Non times hunc pulicem; qui
Non times stygis Draconem
Imperantem Tartaris.
Nec pudet fugæ: pudebit
Quos procul pelles Apellas
Vt cuculos pessimos.
Sic **DEVS** sic perde sævas
Hostium manus; tetri q;
Dæmonis Tyrannidem.
Nos q; da soles videre
Auræ pacis serenos
Gratioso hoc tempore,
NOBILITATE

NOBILITATE GENERIS, HEROICA
VIRTUTE, SAPIENTIA ET ERVDITIONE
EMINENTISSIMO DOMINO CHRISTOPHORO VITZ-
TUM à VITZTUM NEOSCHÖNBURGI ET KLÖSTER-
LICH, DOMINO PATRONO MUSIS MEIS
DESIDERATISS.



I cui natalis surrexit ab aethere Titan:

Illum mente hilari concelebrare cupit.

Si quando CHRISTI natalia festa recurrunt:

Hæc nulli xp̄i μ̄β̄η cocta recocta placet.

Ordine transverso hæc fiunt cum tristia læta

Credantur: lætis triste subesse malum.

Nostra dies dolor est & origo prima malorum:

Sed CHRISTI lux, est prima salutis iter.

Nonne diem hunc igitur melius celebrare quot annis?

Scilicet hoc poscit dius amoris amor.

Hoc à me festum ut dignò celebretur honore:

Hæc animo pietas volvere pauca dedit.

CHRISTOPHORE hæc igitur CHRISTI quia nomine gaudes:

Et cordi est pietas semper amica comes;

Suscipe placato, placidè qua de fero, vultu:

Cumq̄ tuo CHRISTI concelebrato diem.

Parva quidem meditor sed tu majora volutas:

Ingenio nolo hæc annumerare tuo.

Materiamq̄ legas; nolo mea verba legantur:

Digna oculis non sunt inspicienda tuis.

Hoc fac ut placeat tentat quod nostra voluntas:

Hoc nostri precium grande laboris erit.

CLARISSIMIS ET EXPERIENTISSIMIS VIRIS;

Dn. GEORGIO OBRECHTO J. C. Sacri Palatii & Aulae Caesareae

Comiti: Reipub. Argentinenfis Advocato: & Academiae ejusdem

Antecessori; PATRONO:

Dn. JOHANNI-LUDOVICO HAVVENREUTERO Medicina &
Philosophiae Doctore: ac Physices ibidem Professore, MECÆNATI.

S. P. P.

SI mihi liceret coram praesentia vestra o Viri Claris. & Sapien-
tiss. de Iudaeorum, Ethnicorum, & Christianorum religione
verba facere; fecissem; non tam lubens quam necessario. Nam
quoties illas apud animum perpendo meum (perpendo autem
saepissime) & quasi lance aequave trutina ad amulsim refero: toties eas
longa intercapedine inter se distare deprehendo: insuper & mirari, & do-
lere, & gaudere me oportet: omnes eas in uno occupatas negotio; & ad
unum tendere propositum, eandemque metam: diversos tamen imo adversos
fortiri fines. Mirari me quidem dixi; ex una religionis veritate diversissimas
in immensum excrevisse de Deo opiniones? In initio rerum quas continet
amplissimum hoc mundi theatrum novimus unam fuisse viguisseque religionem,
quam scilicet coli voluit, eam quoque Magnus ille Deus mortales docuit. Tunc
non erant errores; non erant opiniones, sed una Divina manebat floruitque
veritas. Unde ergo tantae, postea plusquam Cimmericae natae tenebrae? Non
est existimandum quasi Deus olim tantum; hodie vero in sua agnitione eru-
dire desierit mortales: aliunde hoc ortum: a Daemonis permisso imperio:
hominis superbo obsequio: stultam denique; & haecenus vanam mentis persua-
sione. Depravato sic homini non placuit Deum unicum & simplicissimum;
simplicissimum & unicum venerari: leve ei visum erat ludere in rebus Divi-
nis. Deus vero figmentum hoc & levitatem cordis ex alto irridens deseruit ali-
quantisper hominem; dignas suo tempore poenas ab eo sumpturus. Quid au-
tem homo sic destitutus boni? Deusei non erat Deus: sciebat tamen, quo-
ties sane oculos aperuit, Deum esse, Divinamque vim quandam, & majesta-
tem: sciebat quoque se suam vi & potestate non extitisse: nec etiam absque Deo
unico licet momento esse posse; qui ei non opituletur. Cum igitur unicum
quem primo agnovit venerari noluit Deum: omnia posthac erant ei Deus.
In hoc tam turpissimo lapsu & supinam quadam stultitiam, non admiratione; sed
commiseratione dignum est, quod in tota universitate quod verum & unicum
Deus sit, nesciverit. Nam primo sui similes, id est homines quos levi ali-
qua nota ceteris antecellere opinabatur, Deos commentus egregios pro-

creavit: deinde nec hac contentus monstrôsâ opinione (quia videbat Di-
vinum hunc honorem in quoddam majus sese extendere) ad naturam &
res creatas sese convertit. Hinc solem, lunam, sidera, ventos: hinc bruta
animantia: ciconias, noctuas, tauros, porcos, canes, feles, & sexcenta alia
venerabatur: & quod stultius est;

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.

ô Sanctas Gentes quibus hac nascuntur in hortis

Numina!

ô Curas hominum! quantum est in rebus inane! Hæc hæc sunt de-
liria humani cerebri? hæc egregiæ de DEO cogitationes: hæc præclara
DEI scientiâ. Mirari hic desino; quod tam diu error iste durarit: do-
lere incipio; quod tam multos seduxerit. Scitis ô Viri Sapientissimi me de
Paganismo verba facere: qui quantum distet à Iudaica & nostrâ Christianâ
religione si me ulterius vestris æquissimis auribus uti concesseritis, decla-
rare contendam. Fuit illa Gens Israëlitica Deo acceptissima; ipsâ Dei vo-
ce erudita, & in pietate informata, instituta. Hæc in unico Dei cultu fir-
mior, ceteros omnes Deos fictitios, imò imagines & simulachra eos re-
præsentantia perosa; Deum venerata est unicum. Hæc ita Deo placuit, ut
Filium suum unicum quem ad remittendum & delendum reatum (ob persuasionem
Deitatis homini ingentium) missurus erat: nasciturum in eâ Gente promise-
rit. Magnū hoc certè Divinæ bonitatis exemplar, & evidens pietatis reli-
gionisq; Deo placentis exemplū: imò ita magnum, ita evidens: ut majus
evidentiusq; dari nequeat unquam. Sed quid non cogit mortalia pectora
stulta indulgentiæ persuasio? Iudæi existimabant se non posse labi, non er-
rare; non delinquere; quia Deo acceptissimi & sanctissimi. Voluerunt igitur
& illi suam sapientiâ ostentare. Si quæ Dei præcepta: si quas promissio-
nes habuerunt; ea observabant, eas intelligebant, ut ferebat blanda hu-
manæ & deliræ mentis interpretatio. Turpe erat non præponere Divinis
præceptis hominum mandata: impium verò ea non facere. Promissiones
omnes interpretatæ, spectabant ad brevem quandam temporis hujus duratio-
nem, sic enim eas accipiebat summa Põtificiæ majestatis autoritas. Rem
profectò acutè tetigerunt: cum dulcissimam illam (reliquas omnes ut infini-
tas lubens prætermittam) promissionem de semine Abrahamæ, de Messia ad-
ventu, de liberatore illo & salvatore orbis dexterrimè & felicissimè expli-
carint: nempe Regem eum futurum Mundi: universa occupaturum orbis
imperia; & quod maxime Iudæis obtrudebat palpum, libertatem tantam

*Juven.
sat. 15.*

*Persius
imit. sat.*

Matth. 23.

a jugo Romano reportaturum: ut gravissimam quoque auderent à Roma-
 nis pudendæ servitutis illius repetere vindictam. ô felicem illam diem, &
 toto ævo venerabilem! sed quando tandem futuram? Brevi, ut putant
 omnes. Nam Messia hunc, & libertatis restauratorẽ jam dudum quidem na-
 tum esse: sed ad certum tempus capillo cujusdam mulierculæ adligatum,
 ad paradisi vigilare portas: hoc emenso, temporis intervallo, venturum
 cum prægrandi quodam asino, cujus tanta moles corporis, ut omnes
 Iudæi in capite (fortasse & in auriculis) amplum possidere queant locum:
 Christiani verò extrema occupent. Nam liberator in medio sedens ac pro-
 a Calida pè ut gubernator in puppi clavum: lora inquam tenens, novo hoc genere na-
 hac ut & vigij; ingens quoddam flumen transvadari conabitur: ubi pro certo constat
 plura alia omnes suffocatum iri Christianos. Iudæos autem post emensum hoc æquor,
 mendacia perventuros ad paradisi portas, & optatas diuque speratas nuptias celebra-
 leguntur in turos. Nam & inmanis quidam bos & cerus qui statim in rerum exordio crea-
 secretis lu- ti; parati eos expectant. a & c. ô cæcitatem! ô miseriam! Quo non perducit
 deorum pro vanos homunciones insanientis sapientiæ opinio! Quis nostrum est qui
 dita & edi- sibi temperet à lacrymis, cum videat gentem hanc olim sanctissimam, turpif-
 ta à Iudæo simam & pessimam labi; ita ut turpius & pejus labi ne Ethnici quidem potuis-
 quodam sent: quia hi volentes quidem: nescientes tamen errarunt: illi verò & scien-
 Christiano tes & volentes tantum facinus perpetrarunt. Dicerem plura si me gemitus,
 factis in li- & doloris non impedirent suspiria. Ad Christianos me nunc conferam.
 bro Flagel illi cum Ethnicis nihil habent commune: cum Iudæis verò omnia fuissent
 lo Iudæo. communia; si olim gens ista duræ cervicis pertinacem & sinistra deposuisset
 rum, nun- Divinorum oraculorum interpretationem. Nam cum Christus agnus ille
 cupato. Dei mactatus fuit & prædicatus statim ab exordio mundi; Iudæique since-
 a In Anti- ram hanc amplexi doctrinam; necessum est jam tum fuisse re ipsa (licet
 ochenfi Ec- non a nomine) Christianos. Et sic qui eandem posthac apprehendissent
 clesia fide- fidem: unam eandemque; cum ijs habuissent beatitudinis societatem. Sed
 les primam aliter prævidit hoc Divina sapientia; quod neglectura fuit humana stul-
 salutati titia. Promissiones igitur illas, quibus splendide eam decoravit gentem;
 sunt Chri- transtulit ad alias b gentes; eamque; ut ingratham & tempus visitationis suæ
 stiani. Eu- non agnoscentem, tanto privavit bono. Quia verò contemptu hoc enor-
 seb. lib. 1. c. miter læsa fuit Divinæ Majestatis gloria: merito quoque gravissima secuta
 3. in f. Nā est eos pæna. Nam ut Pagana illa Gens ignara Dei, ita hæc ut contemprix
 in V. & N. Dei à verò illo & unico salutis scopo, qui est CHRISTVS longè longè
 Testamen- aberrarunt.
 to multis a.

a. *Planteur nominibus ut Gen. 21. 12. 17. 5. Isai. 51. 2. Matth. 3. 9. Rom. 4. 11. & c. b. Matt. 21.*

aberrarunt. Triste hoc & lugubre dictu **NE SCIRE CHRISTVM:**
horribile **NON CVRARE CHRISTVM:** miserrimum **CON-**
TEMNERE CHRISTVM. In illo olim Ethnici & hodie Turcæ: in
hoc verò miserrimi peccarunt, peccantq; Iudæi. O felices eos quibus hoc
datum, unicum hunc **SCIRE CHRISTVM:** nihil **CVRARE**
præter hunc **CRVCIFIXVM:** nihil **VENERARI** præter hunc
CRVCIFIXVM. Quis hic non gaudeat? quis non lætetur, cui hoc
concessum à superis **DICI & ESSE CHRISTIANVM.** Magnum
hoc Dei donū: quo majus dari nunquā potest: imò Dæmones, si contigif-
fet ut homines esse possent; majus sibi dari non petijssent. ô ter quaterq;
beatos illos beatæ *b Immortalitatis Candidatos!* Cui quæso præ nimio gaudio *b Lactan.*
non erumperent lacrymæ; cum videat, & sciat se nominari, & esse Chri- *F. lib. 6. In-*
stianum? Quisquis igitur est, qui dum hæc apud suum perpendit animum, *stit. c. 18. in*
Divinæ majestati non agat gratias? laudet, veneretur, & adoret pronus? *fin. sic vo-*
Sed heu nos humunciones! possumusne hoc? nisi hoc datum è superis non *cat Chri-*
possemus: conamur hic grandia; imperfecta sed omnia: placent tamen Deo *stianos.*
hæc imperfecta; propter illam in beato illo cælo futuram perfectionem.

Vt igitur & ego una cum Ecclesiâ Christianâ quæ hodie mirandum hoc
DEI OPVS cum DEVS HOMO FACTVS SIT quoquomo-
do prædicem: exigua quædam; (nam majora non potui) de magnis in
animo meo volutare, **TEMPVS & PIETAS** me impulerunt. Hæc
ego vobis ô viri clariss. & sapientiss. offerre non dubitavi; non tantum pro-
pterea quod mecum vos Christi candidatos profiteamini: sed (quod sciã)
tantum temporis in his legendo libenter consumpturos; quo majora me-
ditandi **DEI** mysteria occasio sese offeret gratissima: Imò verò ut grati-
tudinem quam tantis viris debeo, rependam: Tibi quidem ô Jurisconsul-
torum optime; & Comes præstantiss. ob datum, & quo me quotidie cu-
mulas, beneficium. Tibi verò Medicorum eruditissime, & peritissime;
ut me measq; Musas, quæ mihi hoc suadebant, perpetuo amplectaris fa-
vore. Vtrumq; ego & beneficium & favorem ita recompensare conten-
dam: ut si factis non potero: certè animo *eis aiōvas* non desinam. Salvete
viri Clarissimi, & si non mihi Musis tamen favete meis, peto. Dabam
Argentorati in ædibus tuis Comes præstantiss. Idib. Xbris Stilo veteri.

argvva

DIALO

IN DIALOGVM.

Gens pia, quæ CHRISTI nomen de nomine traxit:

Mente piâ recolit cœlestia sacra quotannis:

Quæis expectato Messias missus olympo est:

Et DEUS humanâ lustravit imagine terras.

Fortè sub hoc tempus paganâ gente profectus,

Christiadum Romanus homo fuit advena terris,

Ignarus rerum, miratur & omnia lustrat.

Hunc Judæus Appella suo (ut Fortuna ferebat)

Excipit hospitio: ac rogitantî cuncta recenset:

Quæ sit relligio, quæ festi caussa diei.

Audijt hæc nova Paganus penitusq; requirit:

Nec satis est audisse sed est vidisse voluptas.

Unâ igitur pergunt ad magna palatia templi

Papicoli: sed eos longum protracta retardat

Fabula: Paganus magis ardet amore videndi.

Judæus neglecta semel non posse videre

Edocet: ast illi haud mens est ediscere verum

Ex uno: rogat ergo aliquem una adijisse: per illum

Totius ut possit festi dignoscere caussas.

Invitus paret facili Judæus amico.

Conveniunt quendam Christi qui verba professus:

Exemplo surgunt dubia certamina litis:

Utrum Messias cœlo descenderit alto:

An vero demum sit eum expectare necessum?

Vir Christi pietate gravis negat ultimum: & insert

Hercuteo nido vincula argumenta; probatq;

TEMPORE, STIRPE, LOCO, tum CASTA VIRGINE MATRE

Advenisse DEI sobolem nostramq; salutem.

Acriter oppugnat Paganus: Apella ministrat

Arma furoris: habet tamen hæc contentio finem

Interrupta; brevi sanctum mutata favorem.

Nam Paganus homo, quæ nunc absurda putabat,

Nititur amplecti; nomenq; suum dare Christo.

Impurus verpus fugit: atq; illius odoris

Impatiens, olido mavult se volvere cano.

DIALO-

DIALOGUS

inter

ETHNICVM, IVDÆVM, ET CHRIS-
TIANVM, ubi de Christi Nativitate in utramq;
partem plurima $\omega\epsilon\delta\varsigma$ ἀλλήλων disserunt.

ETH. Itan' ut heri dixti, maximam hodie
Christianos cujusdam festi solemnita-
tem celebraturos? JU Maximè: ipse
videbis & audies istos incantatores can-
tare veterem stultitiæ fabulam: & ne-
scio quam serotinam sibi fingere saluber-
rimi vini vindemiam: hanc si lubet, libet & licet me-
cum spectare longo usu inveteratam fabulæ actio-
nem. ET. Quid audio? Pauca tu quidem heri & ad-
hæc invitatus mihi te roganti de hac solemnitate subindi-
casti: ita ut ego plura ex te cognoscere veritus fuerim;
plurima tamen de vestra festi solemnitate, quam tu ni-
fallor Channuca vocasti, libenter audiverim. Sed, ut
jam intelligo, te non modò eam audire fabulam velle;
verùm ad ipsam me, unà quidem tecum, videndam in-
vitare. Quare, audebo tecum de illa pluribus conferre
(sum enim à te invitatus) & istius solemnitatis, vel, ut
tu vocas stultæ fabulæ causas penitus inquirere. Dic tan-
dem qui isti, & cur incantatores? quæ vetus fabulæ stul-
titiæ? quæ serotina vindemia? quæ harum omnium stul-
titiarum stultæ causæ? JU. Quanquam ista omnia
longissimis diris malletm devovere; quàm paucissimis
verbis de ijs disserere: tamen ut in hocce morem geram
tibi; unde error istius fabulæ fluxerit, causas aperiam.
Fuit ab initio & exordio mundi Gens Israëlitica, DEO
Opt. Max. acceptus Populus; ita ut præ ceteris omnibus
B nationibus;

Reliquiæ
hæ sunt
Papales
apud su-
perstitio-
sos magni
adhuc
momenti.

nationibus; solum hunc elegerit; sanctum sibiq; consecratum vocarit: illi ipsi sua precepta viva voce tradiderit: imò & cultum ipsum quo coli maxime voluit (cùm oblata sacrificia non terrestri sed cœlitus demisso igne, incendens, miraculosè comprobavit) monstrarit: terram promisit, & dedit nobis lacte, vino, & melle affluentem, & omni insuper rerum copia abundantem: Hostes qui ausi sunt nobis sese opponere: ipse pro nobis eis sese opposuit, vicit, superavit. Et ut taceam victorias: quum ille ipse tot tantosq; exercitus, uno tantum ministro suo usus debellavit. Quid? quod & res inanimas pro nobis fecit pugnare: Mare cessit nobis; & hostes nostros oppressit: fecit idem Jordanis conversus; qui jussus est consistere; ita ut nobis pateret aditus in terram patribus olim promissam. Ipse clangor tubarum nostrarum absq; omni molimine manuum demoliebatur florentissimarũ potentissimarumq; urbium muros. Taceo lapides cœlitus instar grandinis in hostes cadentes. Nam ipse Sol, qui quidem alias, stare loco nescit (attende) ad jussum Ducis nostri immobilis stetit, donec nos vindictam, & de hostibus plenam retulerimus victoriam. Sed quid ego hac in enumerabilia enumerare contendo? Nulla Gens quam Sol in orbe terrarum vidit, nulla inquam DEO fuit carior, pietate cultu DEO accepto, sanctior & vetustior: maximarum rerum gloria ceteris prestantior: stupenda miraculorum editione superior. Sed ut nosti humanarum rerum sortem:

Pfal. 113.

Ovid.

Luxuriant animi rebus, plerunq; secundis

Nec facilè est æqua commoda mente pati:

Seneca.

ita & Majores nostri, immoderata hac in rerum omnium prosperitate, facti sunt paullo insolentiores, & superbiores. Superbiam verò (ut quispiam vestrum rectè dixit) sequitur pœna, quæ maxima ruinae causa est. Itaq; quoties de-

ties deflexerunt à verò DEO; toties gravissimis calamitatibus depressi, bello, peste, fame; oppugnatione & expugnatione Sanctissima illius urbis: templi verò amplissimi vastatione, profanatione, desolatione; tribuū etiam Israël ad unam ferè deletionem: longa ad servitutem & mancipium damnatione. His inquam tantisq; malis depressi, non tamen oppressi; firmissima spe liberationis consolabantur; & ad pristinum statum regni & imperij restoratione erigebantur. Unde tot liberatores patriæ tot servatores populi Israëliti, Moses, Iosua, Gedeon, Simson, David & ceteri quam plurimi, quos ego, hisce non minores, sed certè pares, ita ut debeo, æstimo. Quare ne tibi fortè videatur hæc nostra diuturna servitus, tanquā ad perpetuos carceres damnatio, habe tibi hoc. Promiserat Deus Patri nostro Abrahamo & infinitæ ejus posteritati possessionem terræ Canaan: dein Jacobo Patriarchæ eadem promissio renovata est: Sed neq; illi neq; huic, quod sperabant, licuit consequi. Præterierant enim ab illa prima edita promissione ad hanc alteram anni ducenti & quindecim. Tanto igitur tempore cum nullus respondisset eventus; desperare debuisset Patriarcha? Absit. Deus est verax, quod promisit (quamvis longo post tempore, sic Divinâ suâ sapientia determinante) prestitit. Majores nostri tot annis in Aegypto servitute pressi penè intolerabili: tamen in libertatem sese vindicarunt: quot annos errarunt in deserto? tamen in terram longè antè patribus promissam pervenerunt: in hac verò quoties oppugnati, debellati, in captivitatem abducti? tamen in pristinam libertatem restituti. Quid ergo: dubitandum est nobis? actum est de nobis? Minime gentium. Imò verò quo diuturnior olim erat servitus vel captivitas patrum: tantò major secuta est florentissimi imperij

An. M.

2024

& gubernationis diuturnitas. Dicis tu; nostra haec servi-
 tus, & misera dispersio omnium est diutissima; ita ut ne
 ulla jam spes maneat libertatis: Ergo quia diutissima;
 ideo acceptissima: addo praestantissima & gloriosissima
 omnium. Adest enim tempus, quo diu nobis, nobis in-
 quam non alijs promissus, diu desideratus, diu expectatus
 Meschuách veniet: hostes debellabit; nos servitute ista li-
 berabit, dispersos congregabit; politiam restaurabit, eter-
 numq; imperabit. Quàm longam istam captivitatem
 nobis visam fuisse putes? ego profecto, vix unius anni
 spatio, vix inquam aestimo. E T H. Miratu quidem &
 (ut fatear) mihi prorsus incognita, idq; nec intellecta
 narraſti: perge tamen & ad cetera ut exorsus es propius
 accedere: & me attentius audientem edoce. J U. Hanc
 ergò nostra futura libertatis gloriam, plurimi ereptam
 nobis esse volunt: & imprimis sunt Christiani (a Goym
 jemách schemo) qui ad se non ad nos liberatorem hunc
 & salvatorem pertrahere sat agunt. Quare quot annis ad
 nostri contemptum (b scilicet quasi nos non idem; imò
 multò magis) fabulae hujus stultitiam c Doldus Jéſchis
 redintegant: in qua fabula, quas ineptias, quas nugas
 pertractant! quae incantamenta adhibent! haec omnia
 sicutis gerris vaniora, si animus est audire, potes mecum
 ea prius videre; quae, tibi multa non intelligenti, multis
 etiam fidem non adhibenti; eo facilius explicare non erit
 mihi molestum. E T H. Hac si ita se habent, ut ais, &
 insuper me non auritum sed oculatum testem esse volu-
 eris, facillimè adducar ut haec tibi narranti & explicanti
 fidem quoq; adhibeam. Quo itaq; divertemus, ut haec
 omnia tuto exploremus? J U. Quò aliò nisi in istorum
 delubra hamaxieis colossis & idolis referta; ibi inter re-
 liquos unum conspicies celsiore quodam loco alba toga ve-
 stitum, dixisses olim vestrae Cereris esse sacerdotem; ma-

a Diræ
 quotidiana
 nae ludæ-
 orum ma-
 la impre-
 cantium
 nobis.
 b Sic se
 res habet.
 Nam & in
 Christum
 blasphem-
 as evocant
 cantilenas, ob
 quas me-
 rito non
 ferendi.
 c Id est
 generatio-
 nis Christi

gna aliorum cum attentione ista delira nugamenta de-
 clamitantem. Pergamus. E T H. Sanè, sed amabo ha-
 bent Christiani delubra, & Deorum Immortalium fana;
 atq; in ijs collocata idola? dic sodes, quæ sunt ista duo emi-
 nentiora adificia, templorum nostrorum omnem propè
 formam representantia? Nam illud sublime & amplum
 quod & solem orientem excipit, & undequaq; est libe-
 rum; columnis circumquaq; ambientibus, intus verò, ut
 aliquantum video triplici columnarum ordine & episty-
 lijs triplicibus positum, triplici etiam artificio Dorico,
 Corinthiaco, & Ionico elaboratū: cui ferè simillimū olim
 in delubro Aleæ Minervæ architectone Scopá Pario apud
 Tageatas habebatur. Hoc autem alterum quod mediâ
 urbe surgit, columnis plusquam sexcentis undequaq; suf-
 fultum; area prope templum lata & amena; ut quæ sola
 procul venientes vel solo adspectu recreare posset: intus
 verò quos video ignes æternos? quas imagines? quæ simu-
 lachra, auro, argento, ebore, & marmore conspicua? me
 hercule servante viva effigies templi Ephesiani; illa verò
 simillima Iovis & Iunonis delubri representatio. Quæ so-
 inter tot statuas, suntne etiam aliquo in precio & nume-
 ro collocatae Bacchi, Cereris & Veneris statua? Nam ego
 præ ceteris has omni veneratione amplector. J U D. Cre-
 do. Nam hoc media in urbe situm, delubrum est omnibus
 sanctis, velut vos, Dijs Deabusq; supernis infernisq; sa-
 crum: in eo igitur sine dubio & tua idola reperies. Sed næ-
 tu mihi homo Ethnicus; homo es Christianus! E T H. Qui
 sic? J U D. Quia non roganti, sed narranti simillimus
 visus es; & quæ ex me scire expetebas; ea ego ex te audio.
 E T H. Quod si ita est iniquè tu Christianos heri im-
 pietatis arguebas, & diris devovebas: cum ego nihil
 videam; quo eos à nostra religione & cultu omnino

Magnus
 ac nescio
 an super-
 fluus usus
 templorū
 hac ætate
 increbuit.
 Vadianus.

alienos putem. Nam illa amplissimâ & artificiosissimâ
 delubrorum structurâ si nobis non preponantur certè ad-
 equantur: multitudine verò DEORUM, quam ex istis
 colossis colligo; non modò nostris pares; sed multò superio-
 res. sacrificia autem totidem, quot statuae, necessum est;
 nisi fortè quaedam apud illos frustra collocentur; quod ta-
 men est ridiculum. **JUD.** Rectè tu quidem colligis &
 poteris plura; cum videris & audiveris plura: sed num
 rectè hæc fiant, hoc opus hic labor. Jehovah enim noster,
 DEUS unus est; præter eum nemo; ita nos à Mose servo
 DEI accepimus. Quod si unus neq; duo neq; tres, taceo
 plures, ullo modo esse possunt: atq; ita videre est, falsam
 esse istam $\chi\omicron\gamma\iota\alpha\upsilon\delta\omicron\zeta\alpha\upsilon$ ^a Goj'm tres Majores sibi fingentiũ
 Deos: (taceo minores, quorum nō est inventus numerus.)
 inter quos & ille fictitius Messias non contentus huma-
 na sorte etiam DEUS haberi voluit. **ETH.** Sed prob
 DEUM, qui iste & unde tam repentinus in aère mur-
 mur & mugitus? clangornè tubarum an tympanorum
 dubius sum animi; neq; enim unquam talis in nostris fa-
 nis meas percelluit aures sonus: & tamen si me non fal-
 lunt aures, tale habuit quidpiam oraculum Jovis in Do-
 dona, quod lebetibus æreis, & sese invicem contingenti-
 bus undequaq; cinctum erat. Quare uno pulsato vicif-
 sim omnes resonabant, sonitu per contactum ab alijs ad
 alios succedente: durabatq; etiam in longum tempus tin-
 nitus ille, videlicet in orbem redeunte sono. Huic certè
 clangori iste non multum dissimilis, nisi quod pro claro
 tinnitu reddat crassum quendam mugitum; sed hoc ut
 facile judico facit major copia materiei. **JU.** Nunquam
 tu campanarum pulsus? **ETH.** Nunquam ecastor.
 Nam neq; apud nos tales unquam machine auditæ: neq;
 apud vos moris est. Sed viden' quò tandem turba è tem-
 plo sese

a Id est
 Christia-
 norum.

plo sese proripit; & tam vario genere indumentorum ve-
 stita! existimo homines esse diversa religionis, quod ta-
 men apud nos a secus sit. Qui sunt isti apertis capitibus,
 veste ad talos usq; demissa? nodoso fune succincti; dimi-
 dijs pedibus nudi; in manibus ardentes faces: cur conni-
 ventibus palpebris? cacinè an verò tantum lusciosi qui
 noctuarum & vespertilionum more parum interdiu vi-
 deant? Aperi. JUD. Discrutior animi. ETH. Quid
 rei est? JUD. Quia dum istos sermones cedimus cun-
 ctando post Panathenæa ad istius fabule Catastrophen
 venimus. ETH. Nihil itaq; jam licet spectare? JUD.
 Omnino licet: ingredi templum; videbis istos vesperti-
 liones ad stare altari cui impositus est splendide exorna-
 tus muliebri formà colossus gestans ligneum puerum; co-
 ram hoc varijs uti gestibus histrionicis gesticulationibus,
 frequentissimis geniculationibus; inclinari strictis mani-
 bus: modò distendere, modò reducere brachia; micare di-
 gitis, pectus ferire, suspirare, clausis oculis representare
 somnum; rursus expergisci, subinde sese convertere; nunc
 inclamare: nunc magno silentio quedam demurmurare;
 & sexcenta alia. ETH. Fortassis est Venus gestans Cu-
 pidinem? & illi quos tu histriones appellas sunt aut Fla-
 mines Martis, Salij nobis nuncupati; aut aliquod genus
 Bassaridum. Hac ego sepe apud nos vidi. JUD. Nescio.
 Sed ego te non tam Spectatorem quam auditorem fabule
 istius esse volui. ETH. Non igitur amplius licet audire?
 JUD. Non licet; quia horam qua licuit negleximus.
 ETH. Licebit tamen ex istorum quopiam, qui adfu-
 erant sciscitari: accedamus propius senem illum præeun-
 tem: sine præcurram subsistat ut parumper, donec eum
 assequemur. JUD. Malum! quid tibi negotij cum ho-
 mine? ETH. Ne tu mihi oblitus videris eorum de quibus
 & heri

a Etiã ho-
 die apud
 Turcas
 peregrinæ
 religionis
 nō admit-
 tuntur in
 fana.

Sacrificiū
 Papale.

& heri & hodie sermones conferre voluimus. JU. Scilicet, tibi quoq; arrident ista anilia figmenta? adesto, domi haec ridebimus plus satis. Nam iste tuae religionis irrisor, quid aliud dicet; quam quod te mordeat? suas verò nugas ad nauseam usq; suggeret, ad caelum elevando, praedicando. ETH. Imò verò quia à me dissentire scio; eò magis alloqui cupio. Nam veritatem etiam ab inimico didicisse volo. JUDAEUS. Quam veritatem? Etiam tu dubius pendes animi; nec tuae religionis vetustatem, constantiam defendere noris: nisi eam emendicatis aliunde veritatis (ut putas) rationibus, confirmes? ETH. Nequaquam. Non enim mihi licet à majorum nostrorum traditâ doctrinâ discedere: nec in animo unquam habui, ut vel tuam amplectar religionem; aut alienam alto supercilio condemnem. Sed quia hoc mihi persuasum habeam nostros majores, qui licet semper religionis erant amantissimi & cultui Deorum Immortalium deditissimi: errare tamen in quibusdam facile potuisse: homines enim fuerunt; humani verò ab illis nihil alienum fuisse puto. Ego igitur cognitis & perceptis aliorum quoq; de hac re non falsis opinionibus, puderet me errorem corrigere? Audi: errare non est turpe, est enim initium sapientiae. Sed errores fovere, tueriq; id verò extremae dementiae est. Sed quid cunctamur? ille senex jam alio quopiam se divertit: propera. JUD. Tu, si libet, propera: mihi nihil est negotij cum Christianis istis. ETH. Nihil negotij? at quae iste familiares quotidie cum ijs conversationes? JUD. De religione puto. ETH. Adestum, meum hoc erit negotium. JU. Neq; hoc pacto. Nam ad istorum de suo Meschuách jaetationem, vix mihi temperare possem; quin virulentissimas diras in eum eosq; evomerem; quod certè futurum esset, cum magno capitis
mei

Scaliger
dec. l. lin.
guz.

mei tuiq; periculo. ETH. Adeon' impatientis animi ut inju-
riam illatam levem, tacite devorare non possis. JU. Et im-
patientis & impotentis. ETH. Sed sine te exorem: tute scis
facta velle me, quae tu velis: sine hoc tantum. JUD. Superas
precando. Sed audi, ut ego meum tibi consilium quoq; aperiam.
Est mihi quotidiana conversatione familiarissimus factus ho-
mo quidam Christianus; eruditus; ab altercatione virulenta
prorsus alienissimus tamen disputator vehemens; & in refel-
lendis erroribus acerrimus: ab eo totam quam expetis edisces
fabulam. Sed cave ne te seducat suis verborum lenocinijs. Nam
in initio nostrae conversationis, certe me in suam quoq; pellexis-
set sententiam; nisi ego viriliter ei me opposuissem: itaq; ad
istam veterem querellam aures mihi jam dudum quasi occal-
luerunt. Ego igitur ipse te animi gratia ad eum deducam. Sed
videonè illum huc adventantem? certe ipsus est. Benè factum
te opportunè advenisse: te volumus: nam ad te ibamus. Salve
igitur insperate nobis. ETHNICUS. Salutem tibi à Jove
ceterisq; Dijs immortalibus propitiam nuncio. CHRISTIA-
NUS. Et tu mihi hospes, quisquis es salve multum. Sed quæ
ista tam insolens hic nobis à Jove Dijsq; immortalibus saluta-
tio? IUD. Animum adverte amabo; quæ gratiâ te constitui
cum hoc meo hospite conventurum. Homo est Ethnicus: studio
tamen in perquirenda vestra religionis veritate apprimè dedi-
tus. Is cum heri ad multam usq; noctem de suâ & nostrâ religio-
ne collatis opinionibus plurima mecum disseruerit; rogatum
me hodie habuit, ut se etiam ad Christianorum quempiam de-
ducerem. Ego igitur te conveniendum duxi; quia scio te mihi
valdè familiarem; & in decertationibus de religione tua, (scis
quàm sæpè ego tecum) probè exercitatum: aliorum quoq; do-
gmatum non ignarum. Quare cum rem & justam & facilem
tibi esse scias; te orare atq; obsecrare jussit si otium est se velle
tecum ociosè de hac re colloqui: idq; verbis pauculis, ne tibi
C molestus

molestus sit: maximè verò tuo arbitrato. CHR. Quamquam
vestra huic justæ petitioni, justè etiam contradicere possem,
tum propter notam mihi tuam infidelitatem: tum deniq; ubi
manifesta appareat veritas, non opus est movere de eâ aliquam
dubitationis suspitionem. Veruntamen quia hoc sacratissimo
diei festo nullo impeditus sum negotio; libenter hanc ansam ar-
ripio: nec enim me pœnitebit vobiscum tempus in tali medita-
tione & colloctione conterere: ubi, &, in meâ indubitata
Christiana fidei veritate me exercere facultas dabitur oppor-
tuna; &, vestros falsitatis errores refellere occasio sese offeret
gratissima. Quare si libet; licet percontari quæ velitis; ego
omnia amicissimo animo percipiam; eodem quoq; respondeam.
Sed tu Judæe cave ne quid effutias quod aures meas impatien-
tissimas blasphemie, offendat. JU. Ego ne yꝑò quidem: sed eo
attentiosem auditorem me præbebo. ETH. Pergrata mihi hæc
tua erga me animi facilitas, quâ, me nunquã quidem antea vi-
sum, perhumaniter excipis: de hac ego tacitè mihi in animo
gratulor: meq; tibi in posterum eadem quæ in me est huma-
nitate devinciri volo. Quare, ut promisi, paucis te percon-
tari cupio, quodnam est illud solemne festum, quod hodie à vo-
bis magna cum religione recolitur? CHR. Solemnitas est no-
bis maxima; pietate plenissima; celebratione dignissima. ETH.
Cur maximam vocas? cum tamen ego audi verim omnes dies
vobis Christianis esse debere æquales & sanctos; sicut naturâ
& per se dies unus, non sit nec reputari debeat sanctior alio. Tu
hodie celebras solemnitatem maximam, cras aut minorem;
aut minimam; perendie autem nullam; ac proinde non rectè:
rectius Diogenes noster, quemlibet diem viro bono esse festum.
Nescio itaq; an vos rideret an redargueret potius; si vos vide-
ret compositè dies festos peragere; reliquos verò dissolutè vive-
re: tu divina. CHR. Uterq; rectè, & tu & Diogenes. Atq;
huic quidem omnes dies festos statuenti; non contradico. Est
enim

*enim mundus hic fanum DEO dignum; in quo constitutus ho-
 mo semper honestè velut in conspectu numinis omnia cernentis,
 versari debet: id quod imprimis Christianos decet, qui templa
 Spiritus Sancti nuncupantur. Tibi verò de unicâ cujuslibet
 diei naturâ obijcienti itidem assentior: sed intellige quod ali-
 qui duntaxat dies festi dicantur; id propter cultus Divini com-
 munionem fieri. Nam ut Hieronymus (audisti fortè de eo, vir
 erat sanctissimus; ideò in nostra Ecclesia gravis est testis) rectè
 dixit: Non brevem totius corporis particulam: sed totum
 vitæ nostræ spacium perpetua in Christo solemnitas est.
 Quod autem maximam hanc solemnitatem vocaverim; rectè
 vocavi: quia ex hac unicâ tanquam fonte uberrimo salu-
 berrimæ manant reliquæ omnes nostræ festorum celebrationes:
 Imò si hæc non extitisset; vix unquam ceteræ quoq; fuissent.
 ETH. Qualis autem est illa & que solemnitas? CHRIS-
 TIANUS. Memoria nativitatis Domini nostri Iesu
 CHRISTI θεάνθρωπος veri DEI & Mariæ Virginis filij; Mes-
 siæ & Immanuelis olim Patribus promissi; & completo
 promissionis tempore Nati in oppido Bethlechem. Hæc est
 nostra Sapiencia verissima, sufficit nobis hanc scire: quæ quam-
 vis sit vestræ rationi contraria: nostræ tamen fidei est consen-
 tanea. ETH. Hoc verum dicis: sed an verè illud ita se ha-
 beat tua interest defendere. Nam mihi hæc ut mirà nova: ita
 contraria, impossibilia, & absurda. CHR. Tunc id audes di-
 cere; quod nemo piorum hætenus voluit cogitare? Imò iterum
 dico & affirmo: nihil unquam te magis hoc invenire posse cer-
 to certius. JUDÆUS. Imò falsò falsius. ETH. Faciamus
 igitur inter nos periculum & desudemus in hac palestra: vide-
 bo utrum mihi difficile fuerit ista tam impossibilia & manifestè
 falsa oppugnare: an verò tibi facili & exiguo labore eadem
 tueri ac defendere. CHR. Atqui ego jam dudum sum para-
 tus: ideo expecto quid mihi tandem verissimi obijcies. Sed heus*

1. Corin. 3.
 Amandus
 in Symp
 Catho.
 pag. 1226.

tu; hoc primum ex te scire volo, cum hæc res non tam rationibus
humani cerebri sit ponderanda; quàm Divinis oraculis & te-
stimonijs probanda; num iisdem fidem adhibeas: & in ijs ac-
quiesces? Nam alias tota hæc nostra decertatio esset inutilis
& supervacanea: & ego malletm tacere potius; quàm te aliquid
impij contra Divina illa oracula efficientem audire. E T H. Si
fuerint Divina; do eis fidem tanquam Divinis: sin falsa; rejicio
tanquam DEO alienissima. Quare si placet, præscribe leges;
& metas constitue, intra quas consistere necessum sit: mihi qui-
dem, ne te plus interrogem ac tu fortasse velis: tibi verò ne cum
tuis testimonijs quibus te defendere satagis, extra chorum ut
dicitur saltes: sed ut & ijs modus imponatur; & via quasi can-
cellis quibusdam præcludatur: itaq; ubi Rhodus erit, ibi dun-
taxat saltabis. CHRIST. Rectè mones. En dextra fidesq;:
nihil me nisi genuino sensu sacrarum litterarum testimonia; &
quidem ea quæ ad rem faciant in medium proferre velle: modò
apud te nulla de ijs sit dubitatio. Metas autem in quibus nos
consistere liceat. ut constituam; id non tam necessario quam lu-
bens faciã, uti scias me non modò ad hæc respondere promptum;
sed ad reliqua omnia quæ tuo cerebro absurda videantur esse
paratissimum. tamen habita temporis ratione hæc tria præscri-
pta tibi esse volo. Primò de TEMPORE potes quærere, quo
nasci oportuit Messiam: Deinde de LOCO, in quo natus sit:
Postremò de FAMILIA & MATRE ex qua nascitur. Hæc
ego quoties apud animum perpendo meum; nequeo satis mirari
adeò perspicua, plana, & aperta de Christo vatum oracula!
quin ausim dicere nulla clariora nulla evidentiora esse testimo-
nia, ac de Messia. Nam ut taceam de alijs; solummodo hæc tria,
quæ ad adventum Messie spectant, inspiciam. Video certissi-
mum tempus indicatum, firmissimum locum demonstratum:
nec satis hoc, sed & gentem, sed tribum, sed Familiam & stir-
pem, imò matrem ipsam: quid hîc amplius desideratur? quis
est qui

est qui cum hac omnia in uno impleta esse videat, cecutire possit? dubitare audeat? His ego, his inquam, satis superque demonstrabo Messiam illum promissum quem vos perfidi Judaei demum venturum somniatis, exhibitum fuisse; nec alium expectandum esse. JU. οτ' αν νηβας κοκχωση CHR. Nunc si qua habes, singula quere, ad singula respondeam. ETH. Commodè tu quidem; primò de tempore jubes: ignorato enim hoc; ignoratur etiam certus adventus hujus Messiae promissi: dic igitur quo tempore exhibitus est ille diu expectatus homo. CHR. Dico, Anno Mundi ^a 3929: olympiadis 194. anno 4: ab U. C. 752: Imperij Augusti exeunte anno 41, & ineunte 42: Herodis ^b autem 33: in equinoctio autumnali: cujus nativitatis festum nostrae Ecclesiae quotannis celebrant ad diem 25. mensis Decembris. Anni verò ab hac nativitate fluxerunt haecenus 1611: tanto igitur temporis intervallo, verus ille & visibilis adventus Messiae celebratus extitit. Quid sibi vult ista circumspectatio tua Judae? quid ructus? quid screatus? nega si potes. JU D. Nihil quidquam: facile enim adduci possum, ut credam aliquem eo tempore vel anno, mense & die natum fuisse. CHR. Messias audi, Messias inquam hoc tempore in lucem editus: illa ipsa dies fuit, qua aeternus ille aeterni DEI Filius non dedignatus est caelo descendere; & pro nobis homo fieri: hac die impletum est vehemens desiderium Patrum: o utinam disrumpas caelos: Rorate caeli desuper & nubes pluant justum; aperiatur terra & germinet servatorem. JU DÆUS. Ita me DEUS, ut tibi presagiebat animus, evenisse video: primùm hac introducta testimonia fucosa circuitione ad suum Messiam applicare contendit: quasi verò ista de eo intelligantur. CHR. Quidni? JU D. Observa, ubi & quando Patres hac loquuntur: nonne in Babylone? petunt igitur sibi dari talem servatorem, qui eos de presenti captivitate liberet: ubi tum temporis tuus Messias? tuus Salvator? illi liberati: ille nondum natus. Quare nihil

a Alij habent 3962: alij etiam ut Buchol. 1970.
b Alij habent 30. sed Philip. pus: nec diligentia inquit, eorum improbo qui tres annos: adjiciunt,

*hac ad tuum Salvatorem: nihil ad istam rationem stabilien-
dam. CHR. Nisi tu credas plurima (ne dicam omnia) in Ve-
teri Testamento multis involucris & quasi velis quibusdam
adumbrata esse, imprimis ea quae in Novo federe manifeste sunt
completa: vix ego tibi ullo testimonio persuadere potero. Tota
enim haec captivitas Patrum; captivitatis nostrum omnium in
Impio Demonis regno viva effigies, typus, & exemplar fuit.
Itaque, ut nec illi absque liberatore a servitute liberati: ita & nos si-
ne salvatore hac in libertate ullo unquam tempore restituti fuisse-
mus. E T. Dic tu porro unde tibi constat haec certissima temporis
supputatio? CHR. Non aliunde, nisi ex DEI vaticinijs. Et
ut hic silentio involvam, non tantum obscuras illas visiones;
sed & plurimas de Christo revelationes; quas Sancti Patriarchae
& Prophetae DEI acceperunt; acceptasque tum ore, quam calamo
instinctu Spiritus Sancti in Ecclesia Israëlis fideliter propaga-
runt; quibus prima illa promissio de semine mulieris contrituro
caput serpentis subinde illustrata est: his inquam omnibus praeter-
missis duo tantum testimonia è ceteris quasi digito tempus
adventus Messiae indicantia, in medium afferam: haec nobis
modo sufficient. E T H. Profer illa. CHR. Primum est Pa-
triarchae Jacobi quod legimus in I. lib. Mosis, qui Genesis inscri-
bitur cap. 49. Alterum est Danielis Prophetae cap. 2. & 9. Sic
enim Patriarcha: non auferetur Sceptrum de Iehudáh &
legislator à pedibus eius donec veniat Silóh, & ad eum
congregabuntur gentes. E T H. Agnosco oraculum: opus
enim est aliquo Delio natatore, qui quod λογίας ille Apollo in
folijs Sibyllae monumentum reliquerit, explicet. CHR. Nullo
opus est interprete. Sed si phrasin linguae Hebraeae ignoras; adest
hic tuus Judeus; ille haec explicabit; qui alias in refellendis testi-
monijs male citatis mirum in modum est exercitatus. JU D.
Ego me auditorem non arbitrum promisi: quod si tu ea, quae ad-
ducis hac pertinere demonstrabis; fides etiam penes te erit: sin-
minus, neque ego tacebo. E T H. Explicato tu ista; siquidem fateor*

Genes. 3.

me hæc prorsus non intelligere. CHR. Declarabo igitur primò
nomina & phrasin: deinde rem ipsam demonstrabo. Non au-
feretur Sceptrum: Sceptrum scis insigne esse regium; dato hoc
datur & regnum; ablato illo; idem quoq; aufertur. Nec Legis-
lator: Legislatores apud Judeos erant illi 72. viri, quos Moses
magnus DEI propheta consilio Jetronis sibi adjunxit, quo fa- Exod. 18
cilius onus administrationis sustineret. Legislator à pedibus
ejus; vel quod propius accedit ad phrasin Hebræam; domina-
tor de inter pedibus ejus; hoc est; ut scribunt doctiores quidam
Hebraei; quod mos dominantis sit, ut scriba ad pedes ejus ma-
neat. Regem igitur in solio locatum esse oportet ut scriba sedeat
inter ejus pedes, donec veniat **שילה** id est felicitas siue author
felicitatis & abundantie omnium rerum; ita dictum à verbo
שלה, quod prosperè & feliciter agere significat: illud ipsum
etiam vos Judei de Messia exponitis. Deinde & Chaldeus pa-
raphrastes vertit donec veniat Messia. Doctus autem ille inter
Hebræos dicit in dictione **שילה** positum esse **ה** pro **ו** quod est
pronomen; & vertendum ita: donec veniat filius ejus: &
idem quoq; non malè. Nam Siloh vobis est pellicula in quâ jacet
embrio inclusus, Græcè ὁ ἄρσενος, nos secundinam appellamus.
Christus itaq; verus ille est Siloh, secundina seu partus uteri.
Exista declaratione, facilis est demonstratio: Patriarcham ni-
mirum vaticinari dignitatem regiam permansuram esse in
Judæa usq; ad Christi Messie adventum. ETH. Non tam sum
solicitus de verbis & phrasibus; quàm de rebus ipsis. Videamus
igitur quomodo hæc cum precedentibus cohæreant. Ego aliud
ex historijs colligo: quod ut verissimum; ita tuo testimonio
prorsus contrarium: nempe Regem Regum Nebucadnesara Daniel. 2.
cum exercitu Babylonico Jerosolymam venisse, templum & 4 Reg. 24.
urbem spoliasse, incendisse; Regem Jeconiam cum reliqua mul-
titudine in captivitatem secum abduxisse: quod factum est
Anno Mundi 3365; ante verò tuum Messiam annis plusquam
sexcentis.

*sexcentis. Vides quàm verum istud non auferetur sceptrum. Sanè ut tibi hoc concedam Iudeos post annos 70. dimissos fuisse à Cyro & Dario è Babylone, ut restaurarent Ierosolymis templum: tamen ubi Regia illa Majestas Regni Judæ? ablata; subdita Persarum Imperatoribus; ni fallor ad obitum Jannæ Hircani, qui subditorum ultimus Princeps de stirpe Davidis habetur; anno Mundi 3806, & ante tuum Messiam exhibitum 164. Ubi iterum illud non auferetur sceptrum de Iuda? Et ut propius accedam: video enim te mihi obijcere velle; Reges fuisse & regnasse Ierosolymis Macchabeos & Asmoneos: Nihil contradico: sed eos de stirpe Davidis & Iuda fuisse nego; verum de tribu Levi à stirpe Aaronis oriundos. Quid tum? etiamsi essent de stirpe Iehudáh: tamen Anno Mundi 3935. ante verò tuum Meschuách 37. postquam Romani ut pote Iudeorum Domini & qui paullo antè Palestinam provinciam fecerant, Herodem illum non Iudæum de Iehudáh; sed paganum; qui ut ait Josephus paterno genere Idumæus, materno Arabs fuit; Regem Judææ constituunt. Dic iterum ubi illud non auferetur sceptrum? Ubi tuus Messias? Quare ut testimonium testimonio opponam; verius Ezechiel vetus Propheta vester Regni hujus cladem prædixisse videtur: aufer ^a Cidarim; tolle ^b coronam, hæc non erit; perversam, perversam, perversam pono eam donec veniat cujus est. Ex his itaq; concludo; aut testimonium hocce tuum non huc pertinere: aut si pertineat; Messiam alio tempore quàm tu determinasti, venisse; aut certè demum venturum esse. CHR. Nondum tu mihi cælum digito attigisse videris; ita ut ante triumphum victoriam canere possis. Audi quomodo perpetua gubernatio interea fuerit in ea tribu post Davidis regnum collapsum; sic ostendunt docti. Quum ab exilio reversus est populus, loco regij sceptri fuit principatus, qui usq; ad Macchabeos duravit. Deinde successit tertius regiminis modus: quia summa judicandi potestas penes
70. viros*

Euseb. lib.
4. c. 7 pag. 8

cap. 21.

^a Id est sacerdotalè
ornatum.
^b Scilicet
regiam.

70. viros fuit, quos è genere regio delectos fuisse ex historijs constat. Adeò autem non conciderat illa regij generis auctoritas; ut Herodes ad causam dicendam citatus, vix capitale supplicium effugerit, quia contumaciter se subduxerat. Quamvis igitur non resplenduerit regia majestas à Davide usq; ad Christum: stetit tamen aliquis principatus in tribu Juda; atq; ita impletum fuit DEI Oraculum. Deus enim non adstringebatur visibilem regni gloriam è sublimi semper ostendere. Ad testimonium quod attinet Ezechielis, satis hoc demonstratur; quomodo sceptrum diruendum; & tamen à Domino servandum fuerit; donec in manus Christi veniret. Huc accedunt alia promissiones, quæ Solij deruti & lacerati restitutionem predicant. Ecce dies veniunt ait Divinus vates, quibus suscitabo tabernaculū David quod concidit, & ædificabo rupturas ejus; & quæ corruerant instaurabo. E T H. Nisi fortè hoc ita esset. Sed quid habes dicere de secundo? C H R. Alterum vaticinium dixi esse Danielis Prophetæ cap. 2. & 9. Illud est generale, hoc speciale. Tempus generaliter constituit nativitatis Messie sub quartà Mundi Monarchia, ait enim: porro tempore Regum istorum (Romanos intelligit) suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non corumpetur, & regnum istud populo alteri non relinquetur. E T H. Nondum satis percipio quid vates velit dicere. C H R. Percipies ex ipso eventu. E T H. Quando tandem futurus? C H R. Nunquam. E T H. Ridiculum. C H R. Quid enim necessum est bis repeti, quod semel fieri oportuit. Messias semel nasci debuit: natus est, ut prædixit vates sub quarta Monarchia imperante Augusto: Quod eleganter declarat historia, quam describit Lucas, Græca fide, ut dicitur, & Atticus testis; cui nos omnes ut debemus etiam injurato credimus. Ita enim orditur caput secundum lati illius nuncij; Factum est autem in diebus illis venit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur tota terra: & hæc prima facta est cum præsidem ageret in Syria Cyrenæus: & paullo post totam

Sanhedrin
 συνέδριον.
 Numer. 11.
 vers. 16.

Amos c. 9.

Ridiculū
 est inquirere finem
 infinitorū,
 & æternorum
 quale est Regnū
 Christi.

D

hanc



hanc Messie natiuitatem ad uivum usq; expressit. Quid est itaq;
hic quod oppugnes? E. T. H. Nihil: nisi ut tu demonstres, quode-
nam sit illud regnum eternum, ortum sub 4. Monarchia cum ego
ab eo tempore, quantum ex historijs scire licet nullum haectenus
firmum & stabile imperium inueniam. Habent enim quoq; im-
peria suos ortus, sua incrementa, status, conversiones, occasus:
& nulla esse tam praecleara instituta, nullas tam sanctas leges; quae
ab obitu certissimo Respublicas vindicare possent. Atq; illud est ab
antiquissima memoria proditum; civitates omnes anno quin-
gentesimo converti aut everti. Nam & *Idem* Plato noster a
cujus auctoritate ne tantillum discedendum puto, putantq; me-
cum omnes, idem affirmat: cum imperia tunc ruitura scribat,
cum modulationis suavitas & concentus periret. CHR. Ve-
reor ego ne a proposito discedamus; si de Regno illo Christi (de quo
obijcis) agere veluerimus: breviter tamen hoc dico aut subindico
saltem, Regnum hoc Christi non esse intelligendum Regnum mun-
danum, & politicum; sed spirituale: ipsum quoq; Regem spiritu-
alem. Nam ipse Christus cum cognosceret quod venturi essent
Iudaei, ut raperent eum, & facerent Regem; fugit in montem
solus: quem admodum postea declaravit suum Regnum non
esse de hoc mundo. Sed plura, si te desiderium tangit, alibi po-
tes, aliasq; querere. Nunc pergo ad vaticinium illud singulare;
quod extat cap. 9. Danielis: Septuaginta hebdomades (inquit
Angelus ad vatem) decisae sunt super populum tuum, & su-
per urbem sanctam tuam, ut confumeretur praevaticatio, & fi-
nem accipiat peccatum, deleaturq; iniquitas; & adducatur
justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetes, & unga-
tur sanctus sanctorum. E. T. H. Hic mihi iterum opus est Genio
aliquo Pythagorae, qui mihi numeros hosce Platonicos dissolvat.
Quae sint istae 70. hebdomades? hebdomades quidem quid sint scio;
sed quid sibi velint nescio. CHR. Audi interpretationem. Septua-
ginta hebdomades decisae vel praefixae super populum tuum,
id est;

Bodinus
de Repub.
lib. 4. pag.
616.

Iohan. 6.
Idem 18.

id est, intra 70. hebdomadas mittet DEUS Filium suum in mun-
dum, qui delebit & expiabit omnia peccata, & donabit suos ju-
stitia sempiterna: Quasi dicat: populus tuus non tantummodo li-
berabitur à captivitate illa Babylonica; sed etiam à captivitate
Diaboli, peccati & mortis per ipsum. Intelligit autem Angelus de
hebdomadibus id est septenarijs annorum non dierum. Septua-
ginta autem hebdomades efficiunt quadringentos & nonaginta
annos. E T H. Percepi quidem abste hebdomadam interpreta-
tionem; nunc a veo audire quomodo eas ad tuum Messiam perti-
tere demonstrabis. C H R. Quanquam non ignarus sum maxi-
mam esse inter plurimos discrepantiam de supputationis initio
horum annorum: tamen dubitatio si qua tibi inde oriri videat-
tur, nequaquam affert veritati errorem. Sunt qui incipiunt ab an-
no 4. Regni Sedechie, qui erat annus 12. Regni Nebucadnesar:
annus verò Mundi 3413. Olymp. 65. 4. U. C. 236. Sed hi quia
longius tempora protrahunt sexaginta annos uno hiatu relin-
quunt. Alij ordiuntur Hebdomadas à septimo anno Longimani;
& alij aliter. Unde igitur tanta in diversitate inchoanda erit
numeratio? Certè tempus illud universum quod est à primo Ne-
bucadnesaris anno, aut ab urbis & templi excidio, atq; captivi-
tate Joakim patris Zechonia, & Danielis atq; sociorum ejus ad
annum primum Monarchie Cyri, per quem servitute Babylonica
liberantur Judei, continet annos septuaginta. Oraculum autem
hoc redditum est Danieli anno septuagesimo idq; postremo captivi-
tatis Judaice. Sic enim habent sequentia verba vaticinij: Scito
igitur ab exitu sermonis de reducendo populo & ædificande
Ierusalem usq; ad Christum hebdomadæ septē: hebdomadæ
sexaginta duæ; & rursus ædificabitur platea, & muri in angu-
stia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occida-
tur Christus, & quæ sunt sequentia. E T H. Et quæ sunt sequen-
tia. Quid opus est ea referre quæ nemo intelligat. Nam quis hæc
intelligit: ab exitu sermonis: septem hebdomades: & sexaginta
hebdomades,

Levit. 25.

Bodinus
 de Repub.
 lib. 4. pag.
 659.
 Iosephus.
 Funccius.
 Mercator.
 Philo.
 Sed nostra
 supputa-
 tio est cū
 Matth. Be-
 roaldo.

hebdomades, & sequentia quæ voluisti. CHR. Ne me impediās:
hoc enim ut intelligas laboro. Intelliges autem facillimè, si hæc
duo observaveris: primò, quid Angelus per hæc verba, ab exitu
sermonis, intelligat: deinde, quomodo distribuat 70. hebdoma-
das. Ac primùm quidem, cum Angelus dicit scito ab exitu sermo-
nis, intelligere debes ad Ieremiam vatem facti; qui cepit docere
& consolari Judæos captivos Anno mundi 3380. Olymp. 57. anno
cap. 9. v. 6. 3. U. Conditæ 203, cuius meminit ipse Daniel in initio capitis ejus-
dem vaticini; quasi dicat Angelus: scito quod ab eo tempore quo
Ieremias prædixit fore ut liberaretur populus Iudaicus à captivi-
tate Babylonica ut instauraretur Ierusalem; hebdomadas esse
septem &c. hoc est ordiri hebdomadas. Hic itaq; cum Angelus ipse
qui hæc dictabat disertè demonstrat initium supputationis anno-
rum; non est cur hic de eâ dubitemus; aut quidpiam curiosè in-
quirendo fingamus. Posito igitur hoc termino progrediar ad alte-
rum; ubi Angelus Hebdomadas trifariam distribuit. Primò, se-
cernit è toto numero, septem hebdomadas, quæ septies septem effi-
cient 49. annos. Hoc autem universum annale tempus contine-
tur Esdræ & Nehemiæ scriptis. Est enim attributum ab Angelo
Urbi & templo reficiendis; quemadmodum hoc in initio primi
cap: Esdræ exponitur; ubi populus post 70. à captivitate annos à
Cyro dimittitur: reliqua attingere non est hic necesse nec etiam
nostri instituti. Venio ad alterum, ubi enumerat Angelus sexa-
ginta duas hebdomadas; quæ incipiunt ab anno 21. Artaxerxis
Pij, qui est Olympiadis 92. annus 4. à quo hæc 8. hebdomas Danie-
lis incipit. Terminatur autem hoc tempus 70. hebdomade incho-
ante, quæ in annum 2. Olympiadis 201. incidit, quum Tiberius
Nero Romæ Imperaret. Intra igitur 62. hebdomadam spacium
oportuit Christum nasci. Nam his finitis mox subsequenta est pas-
sio Christi, secundum prædictum Angeli. Superest tertia pars
vaticini Danielis, de una hebdomade quæ est ultima, id est se-
ptuagesima. Hæc quidem non tam ad nostrum propositum spectat;
quàm

quàm ad declarandum integrum hebdomadarum numerum subservit; ideo aliquid etiam est dicendum. Post 62. hebdomadas ait Angelus, excidetur Christus &c. Continet itaq; hæc postrema hebdomas Messie res potissimum gestas. In ea enim baptisatus est, à præcursore suo Iohanne: predicavit: miracula edidit: & tandem passus est pro nobis anno vite sue 33; anno 4. Olympiadis 202 M. C. 784. Typerij vero 18. Anno Mundi 3951. Et hæc est illa plenitudo temporum. Quis ergo est qui non videat vatem hunc Divinum sigillatim determinare; & ipso quasi digito monstrare; quod alij dumtaxat videntur futurum aliquando indicare? Prodeat aliquis qui Daniele vatem maximum esse neget: atq; ea que prædixit, & eventus comprobavit, infirmet: profecto oportet eum gnæviter esse impudentem, qui hæc audeat. E T H. Quamvis plurima invenire possent, quibus hanc tuam Larissæam prædicationem vatis in fringerem: tamen ne in immensum excrescat decertatio, ad secundum propositi locum potius nos convertamus: erit fortassis quod tui vatis oraculum convellere possit. CHR. Lubens id faciam. Est autem LOCUS, ubi Messias nascitur. Ac ut in superiori demonstratum est tempus: ita hic multò apertius determinatur locus. E T H. Indica ubi gentium? CHR. In Judæa. E T H. Ubi in Judæa? CHR. Bethlehemi. Sic enim Micheas propheta, non satis propterea laudatus indicat. Et tu Bethlehem Ephrata, inquit, parvula es in millenarijs Iudæ; exte mihi egredietur qui sit dominator in Israël. E T H. Pertinet hoc dictio ad Messiam? CHR. Dicat Judeus censor eorum que malè citantur. J U D. Ita est: verba hæc intelligi non possunt nisi de Messia. E T H. Si hoc verum est in quo uterq; consentitis; falsum est quod alibi dicitur in vestra sacra diphthera & Iovis tabulis, de eodem Messia quod Nazarenus vocabitur: id quoq; eò magis consentaneum est veritati; quia & Mater Messie Nazareni habitavit perpetuo. Quid? nonne eundem ibi concepit? annon ille ipse posthac in Galilæa doctrinam suam inchoavit? taceo quod civitati

D. Hieronym. affirmat Iudæos Danielem non agnosci pro vate. Λαγινών εἶπε.

Mich. 5.

Matth c. 26 & Isaiæ 10

D 3 Capernaum



Rud. 13.

^a Osee 11.
Matth. 2.

^b Iulianus
apostata.
^c ut in
Lentuli
epistola.

Capernaum metropoli Galilæa civis adscriptus fuerit: taceo quod ipse titulus ipsius delicti postquam in crucem actus est Ierosolymis idem indicet: **JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM**: Imò verò etiam à nostris semper appellatur Galilæus. Ex his itaq; concludo aut dictum illud Michea non propriè pertinere ad Messiam: aut si pertineat falsum esse hoc alterum, quod tamen religio est vobis dicere. CHR. Paucis ego & distinctè ad allata respondere volo. Ac primò quidem Messias nascitur Bethlehemi in oppido Iudæ; tamen dicitur Nazarenus? Nostin quid sunt Nazareni; nomen Gentile, & secta: ita nempe nuncupati; quod sint selecti & DEO potissimum dicati. Talis autem noster Messias, qui non de gente Nazareus; sed è voto Nazarenus factus; modò tu hanc sententiam dextrè intelligas. Deinde Mariam Virginem concepisse Christum Nazareti non nego: sed eam Nazareti perpetuò habuisse, vel fuisse in fitior: sub tices enim callidè tempus descriptionis omnium civitatum in Palestina, Anno 2. Imperij Augusti præside in Syria Cyrenio; quo tempore necessum fuit Mariam migrare Bethlehemum, ut qua fuerit è Familia Davidis. Sed meum non est multis declarare quæ tu sciens & astutè prætermisisti: Miror potius cur hac subticueris: ^a Ex Ægypto vocavi Filium meum; ita ut in Ægypto Messiam natum esse convinceres! De illa inscriptione & titulo crucis nihil dico, nec contradico, verum est, sed nullum delictum. Postremò quia à vobis Christus Dominus noster, Galilæus vocetur; id non nisi aut per ^b contemptum; aut ignorantiam fieri. Sed quid volumus in re tam planà, accuratiori responsioni immorari: infer aliud si quid habes, quo depugnes; non verò arma duntaxat ostentes. ETH. Absolutè tu & simpliciter, ais Messiam natum esse Bethlehemi? CHR. Absolutissimè, simplicissimè. ETH. Audi ergo ex Jovis tabulis testem: qui memorat Christum infantem in spelunca quadã, ad quam Maria in itinere versus Bethlehem diverterat, in agro Salomæ editum esse, adventante singulari DEI providentia obstetricæ Hebræa.

Hebræa. Agnoscis prorevelatione Iacobi? tenes etiam proculdubio
 verba illa; & reclinavit eum in præsepi. Præsepe autem ubi,
 nisi in stabulo vel spelunca beluis propriè ad habitandū concessa.
 CHR. Fabulosa hæc prorsus narratio atq; deridenda. Plus enim
 valet apud nos authoritas S. S. per Prophetam Micheam & Evan-
 gelistam Lucam, perspicuè, non obsecrè testantis & asseverantis,
 non alibi, quàm Bethlehemi Messiam fuisse natum. Deinde muti-
 latè truncas ipse truncus testimonium. Factum est enim, ait
 Lucas quum essent illic: ubi? in spelunca? ridiculum: in urbe
 David Bethlehem. expressè dicit. Quod verò in præsepi repositus;
 ostendit, quia non erat ei locus in diversorio. ETH. Itaq; migran-
 dum fuit ei in speluncam? CHR. Rectè, rectè in stabulum. ETH.
 Scilicet, ubi diversoria plena ut stabula sint vacua! rectè, inquã,
 in speluncam, quæ extra urbem in agro, ut dixi Salom. e. Nam &
 pastores primum eò accurrere; quia in regione illa, ait tuus Cato,
 excubias non procul inde egerunt super gregem suum an oviū
 nescio. CHR. Verum est. Primum eis innotuit, non quia proximi
 essent; sed quia primum eis ab Angelo nunciatum: abeunt autem
 spectatum; quo? Bethlehemum ait Evangelista; accedunt stabu-
 lum, & vident puerum involutum fascijs, & reclinatum in
 præsepi. Tace ergo Augia stabulum: quem ego. ETHNICUS.
 Nequaquam debes mihi succensere, qui te non fallendi, sed veri-
 tatis inquirendi studio accessi. CHR. Nisi scirem quo tue tendant
 strophæ, ut & rem gratissimam tuo Iudeo facias; & nostrum Mes-
 siam quem nos DEUM DEORUM, REGEM REGUM merito appellamus,
 irrideas. Offendit enim hoc Iudeos, quod eum,
 qui debuit esse liberator & dominator populi natum in stabulo, &
 inter jumenta repositum palàm profiteamur: & te ut jam intel-
 ligo idem non parum commovet. ETH. Minimè vero. Potest
 enim ex humili casa vir magnus exire: & nostris Romanis uni-
 versi orbis Dominis semper fuit laudi & honori Ducū paupertas.
 Nam Pauper erat Curius cum Reges vinceret armis

Nil habet
 in felix
 paupertas
 durius in
 se; quam
 quod ridi-
 culos ho-
 mines fa-
 cit. In ven

Horat.

Pauper

Pauper Fabricius Pyrrhicum sperneret aurum
Sordida Soranus traxit dictator aratra.

Ut taceam ceteros ferè omnes. Sed iterum à via defleximus. Procedamus ad tertium locum metae proposita: & tibi hæc duo argumenta de tempore & loco tui Messie nati concedenda esse duco: tum propter subtilem quâ vix evasisti perpetuæ gubernationis Judæ usq; ad adventum Messie, demonstrationem: tum propter accurratam illam quâ usus es ad tuum propositum, annorum amputationem, supputationem debebam dicere. JUDÆUS. Nequaquam est concedendum, aut discedendum. Nam si hæc duo concesseris; facile evincet cetera. CHR. Fac igitur ut audiam; quod meam convellat sententiam. Quid taces? nihil habes? JU. Nihil; nisi quod tuus Messias post biennium ab eo scilicet tempore, quo eum natum esse dicis Bethlehemi sit interfectus. CHR. Tu ista demonstrabis, quando

— Albiabas formica exhauriet undas.

Et lativagum testudo orbem circumibit.

JU D. Non possum non ridere; te istud ignorare, quod omnes vestri quasi magna cum laude gestum sit, audeant prædicare. CHR. Dic igitur. JU D. Credo; diceres tu ipse, nisi subticuisse velles: audi ergo, & pro Genethliaco mox cantabis Epicedion. Herodes ille cujus vesaniæ & crudelitatis facinora atrocissima memorantur eo Furiarum stimulis agitatus est, ut posteaquam ex Magis natum in Iudæa intellexisset infantem, qui Rex Iudæorum esset futurus: & quo loco natus esset Scribæ eum & Pontifices de Prophetarum testimonijs admonuissent; pueros omnes Bethlehemiticos, qui bimatum attigissent aut infra eum essent, occidi munda verit: tantâ quidem animi impotentia ut acceleratâ lanienâ ingrege illo mactatæ innocentie etiam Filium amiserit. Nega igitur si potes, ut tuus Messias qui eo tempore nondum biennium excessit, inde evaserit. CHR. Nullum facilius contra te responsum. Attende quid ipsa Evangelica scriptura doceat: quomodo hæc insidias
cruentas

cruentas amabilis ille puer evaserit: admoniti erant, inquit
Mattheus, parentes eius per Angelicam apparitionem, ut te-
meritatis tyrannicæ flagitium evitarent; si in Aegyptum unâ
cum puero secederent donec in vivis esset Tyrannus. Huic te-
stimonio quia tu fortasse fidem non adhibes; audi ex prophetis ea-
dem prædicentibus: sic enim Oseas: quum puer Israël esset dilexi Cap. 3.
eum, & ex Aegypto vocavi Filium meum. **JUD.** Licet tibi in
detorquendis testimonijs nullus sit modus: tamen istam lanienâ
propter tuum puerum esse factam inficias ire non potes. Ille igitur
servator erit qui tot millia internecioni dedit? ille tam mansuetus
Filia Sion fuit expectandus; qui neq; pueris innocentibus pepercit?
ETH. Horrendum facinus! propter unum puerum tot millia ce-
sa? malum prob Juppiter omen. Nonne hoc futura crudelitatis
indicium? nonne hoc simili exemplo Alexandri Magni satis com-
probari potest? Nam, quâ nocte templum Ephesiæ Magnæ
illius Dianæ de flagravat; eadem quoq; constat ex Olympiade Cic. lib. 1.
de Divin.
fol. 90.
natum esse Alexandrum: atq; ubi lucere cæpisset, clamitasse
Magos, pestem ac perniciem Asiæ proxima nocte natam.
Nonne hic eadem fabulâ? hic hic in infanticidio inceptæ crude-
litis evidens exemplum. Nam qua nocte natus est tuus ille: ea-
dem quoq; Romæ Templum Pacis est collapsum: addo etiam illud;
oracula cessarunt loqui. Scilicet non venit ut mitteret pacem Matth. 10.
in terram, sed gladium. Non dicam quod & ipse horoscopus tui
Messiæ nihil boni secum tulerat: quoniam sub aquea triplicitate
natus sit: in qua Planetas superiores coire necessum est, scilicet in
piscibus. Quid igitur hic boni spectandum? quid expectandum?
certè nihil aliud nisi quod illorum proprius a propheta denuncia-
vit; imò constanter affirmavit brevi totius Christi religionis
interitum. **CHR.** Iudeorum & Ethnicorum iste est error: uterq;
fallit & fallitur in prolato duplici Sophismate. Iudeus quidem so-
phismate pñ cū tūc cū tūc. Nam Christi nativitatē tantæ inter-
necionis causam esse asserit. Sed quem offendit tam humilis, tam
Eabjecta

a Cypr.
Leo vij
fuit hæc
prophetia.

abjecta inter jumenta nativitas? Herodem? Atqui Herodes Rex universae Iudaeae: quid verò agit inter bubulcos & agasones? quid ei negotij cum stabulis? nempe in eis latitare Regem Judae. Quis ei haec indicavit? Magi, scribae, & Pontifices. Quid ille? praemittit Magos ad inquirendum Regem: se enim inventum mox unà adoraturum, scilicet ut solet vulpes gallinam. Quid tandem? Magi invento Rege admonitiq; in somnijs, non redeunt. Rex totus adorationi deditus se fraudatum videns, excandescit, Regem novū persequitur: ille factus profugus, elusit lupum hiantem: lupus verò ut animal impatiens inedia sedavit famem pro uno multorum infantum sanguine. Quare ut simili Sophismate concludam. Magi & Pontifices tanta laniena dicendi sunt authores: illi qui aperquirunt: hi verò quia indicant Regem Bethlehemi esse natum. Sed cum hoc nequaquam verum sit; sequitur nec prius verum esse posse. Causa autem totius rei est metus Herodis, ne quis alius ei nisi quem ipse designasset in regno succederet: imprimisq; eo tempore, quo in expectatione summā Messiae adventus erat. Didicerat enim à Scribis Vaticiniorum complendorum tempus advenisse: cui rei etiam fidem fecerunt Tyrannumq; in metu confirmarunt Magi ab oriente Regem hunc Regum inquirentes. Sed opus est ad alterum Sophisma ut respondeam Ethnico. Nescio quas mihi larvas obijcis, crudelitatem futurorū metuis: Ipso facto simili non simili comprobas: futurum interitum Christianorum praedicis: tibi ego ad priora eadem responsione responsum esse volo: ad postremum hoc tantum adijcio: ridiculum est illud de Christi religione interitu testimonium. sanè ipso eventū comprobatum: deinde quod attinet ad triplicitatē aqueam in qua Christum natum esse scribis, & congressum planetarum in piscibus: dico, sententiā hanc non modò impietatis sed inscitiae esse plenam; ut quae seipsam refellat; seu ipsorum astrologorum ut amur decretis, qui planetas sua domicilia evertere posse negant; quod tamen Jovi in piscibus accideret: seu à Platonis ac philosophorū omnium doctrinam

b Leovicius Mundi interiturū afferit A. D. 1584. cum tamen suā ephemeridū computationē ad annū Christi 1606. usq; protraxerit. In Timæo. Aristot. de Mundo.

doctrinam teneamus; qui eluviones aquarum & incendia vicif-
sim fieri tradunt: seu Divina promissa Nohemo pro certis ac veris
habeamus. Sed nolo de his plura: sunt enim reliqua nobis pertra-
ctanda. E T H. Assentior tibi: neq; de his verbum amplius unum
addam. Quare accedamus ad locum tertium. A veo namq; ex te
audire de Familia & Matre qua natus ille Messias. CHR. Supe-
riora illa duo tempus & locus erant quasi generaliter adventum
Messiae indicantia: haec autem sequentia tanquam sigillatim ma-
gis atq; magis comprobantia: ita nisi vos Iudaei obstinata malitia
indurati & obcecati essetis; minimè de Messia vobis olim promif-
so, & jam exhibito dubitaretis. Satis credis Davidem indicasse, P sal. 130.
cum in psalmis suis, ut passim, ita in eo potissimum in quo semet
consolatur & ait: Iuravit Dominus Davidi veritatem & non 2. Reg. 7.
frustrabitur eum; dicens cum completi fuerint dies tui, ut
dormieris cum patribus tuis; sulcabo semen tuum post te,
quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus usq;
in sempiternum. Et alius Prophetas: dabit illi Dominus sedem Mich. 4.
David patris sui, regnabitq; super domum Iacob in aeternum Dan. 7.
& regni ejus non erit finis. Satis quoq; illud apertum? Ecce
virgo concipiet & pariet Filium & vocabitur nomen ejus Im-
manuel &c. Nega de Messia dictum: nega o per fide in Christo Esaiæ 7.
completum. E T H. Nolo ego ut inde inter vos tanta excrescant
lites: tu modo perge in Genealogia tuae Messiae. CHR. Longum hic
esset universum a Davide texere genus, usq; ad Matrem Messiae:
hoc verò brevi compendio fieri potest; si Mariam ex qua natus est
noster Messias, de tribu Juda & stirpe Davidis fuisse tu & Ju-
deus non negetis. E T H. Si tu huic sententiae, ut potè vestrarum
tribuum minimè ignarus, subscribis: & ego pedibus in eam disce-
dam JUD. Scio quid velis, Mariam matrem tuae Messiae fuisse de
tribu Juda & stirpe Davidica (quod facile concedo:) ideoq; &
eum quem peperit fuisse de radice Iesse patris Davidis, id enim tu
vis concludere. Utinam tamen prius hoc consequens probes quam
concludas.

Cap. 1.

Cap. 2.

Deut. 29.

Lib. 6.

concludas. Nam ille patrem habuit fabrum: Faber autem ille, ex
quâ tribu fuerit, vel ex eo constat, quod duo ex tuis testibus (li-
ceat mihi tuis contra te uti) pronunciant: unus affirmat; alter
negat. Matthæus enim ille publicanus qui Evangelista à vobis
nuncupatur ita recenset Iosephi genealogiam: Mathan autem
genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioseph maritum Mariæ.
Lucas verò ejusdem farine Evangelista Sic inquit: qui erat Fi-
lius (de tuo Messia est sermo) Iosephi, qui fuit Heli, qui fuit
Melchi. Hic videre est, Iacobum & Heli non esse unam & eandem
personam: affirma igitur utrum velis, utrumque erit falsum: hoc
enim inde sequitur: aut utrumque testem ignorare, errare, & fingere
duntaxat genealogiam, aut Iosephum incerto patre natum esse
terre filium. C.H.R. Sophista ut concludit? nega aperte Iosephum
fuisse de tribu Iuda; si quidem Mariam concedis: oportet te esse
memorem (ut est paræmia) quod secundum legem Mosaicam alijs
tribubus commisceri non licebat. Precipit enim illi ut uni ejusdem
populi, ejusdem familie nubatur; ne fors generis de tribu in tribus
perturbetur, quod DEUS nullam ob aliam causam fieri voluit:
nisi ut vobis certo certius constaret Messia genealogia, sed vos
Talpe in vestris ipsis rebus nihil planè videtis; & tantas Saturni
in oculis habetis lemas quanta sunt cucurbita. Sed quod attinet
ad illam diaçoniam qua inter Evangelistas esse videtur de ea mul-
tis respondere non est operæ precium; satis est quod Eusebius Histo-
ricus cujus auctoritas in Ecclesia semper valuit, capite 8. asserit;
cum hancce discrepantiæ speciem Aphricani insignis historiogra-
phi sententiam secutus, distinctione de filijs Φύσει ἢ νόμω succeden-
tibus tollat; ita ut Iosephum dicat Φύσει quidem Iacobi; νόμω au-
tem Heli filium fuisse: non inquam est operæ precium, quia tu no-
strum Messiam ἀπλῶς filium Iosephi esse contendis: cum tamen
ille & ἀπ' αὐτῶν & ἀπ' ἡτῶν nobis dicatur. E.T.H. Aphrica semper
aliquid novi parit: ita & vestra religio, perpetuo aliquid novi
infert: nec jam mihi mirum esse potest; tam fluxam, tam inco-
stantem

stantem vestram professionem, ut non immerito à Porphyrio re-
 deatur; modo ait, modo negat: Messias habet patrem; non habet
 patrem: habet matrem virginem; non habet matrem: sine me ob-
 secro ut ad sacietatem usq; rideam. Non habet patrem? quid?
 (ut hoc impossibile subdiceam) mentiuntur ergò tui testes? Ioseph
 qui fuit maritus Mariæ, ex quà natus est Iesus: item, descendit
 Ioseph &c. cum Marià desponsata sibi uxore, quæ erat præ-
 gnans: item priusquam congressi sunt inventa est gravida.
 Nonne hic pater & mater? quà frontè hæc pernegabis? CHR.
 Quà frontè tu audes hæc oppugnare? quo impudenti ore irridere?
 contemnere? Ego hæc facie & vultu ingenuo non detractò com-
 monstrare: attentius ergo audi Philosophè, morosophe. Sermo ille
 æterni patris quem nos Filium DEI nuncupamus humani erroris,
 & beluine vivendi rationis misertus, è virgine castissima nasci
 voluit. Hanc tantam & omnibus sæculis admirandam generatio-
 nem quis enarrabit? nullus omnino sermo sufficiet, cum in prophe-
 tijs etiam Divinus Spiritus dixerit: certè omnes p̄j & fideles
 maluerant hæc potius admirari quàm scrutari mysteria: unde
 pius ille & sanctus vir Bernardus, tria hæc miranda sibi videri
 dixit; quorum cogitatione omnes etiã angeli obstupescant: 1. CO-
 pulatio personalis Dei & hominis in mediatore: 2. COPULA-
 tio matris & virginis in una & eadem personà Mariæ: 3. COPU-
 latio Filij & cordis humani assentientibus his duobus mira-
 culis. Quod autem tibi hoc videatur πᾶγγέλιον, impossibile, &
 omnino ridiculum: mirum non est, ut qui ne scintillam veræ Dei
 sapientiæ tuo sensu apprehenderis, sanè tuo isto risu satis probasti.

ETH. Omnino probavi; tamen tu adhæc ne μὴ quidem. CHR. Scio
 me tibi non intellecta dixisse: verum ut me tuo ingenio aliquo-
 modo applicem; Christus dicitur nobis & ἀπὸ τῶν & ἀμὴ τῶν: ἀπὸ
 τῶν quidem ut homo: ἀμὴ τῶν verò ut Deus: est enim θεῶν θῆσα
 Et qui est πᾶγγενέτης hominū; hominem patrem habere nequit.
 Quod verò in scripturis dicatur habere patrem Iosephum, ille fuit

Matth. 1.

Luc. 2.

Sozomen.
 hist. Eccl.
 lib. 1. c. 7.

Euseb. lib.
 1. c. 1.

Virgini-
 tas, partus
 discordes
 tempore
 longo vir-
 ginis in
 gremio
 fœdera pa-
 cis habet.
 Romæ le-
 gitur.

Sapientia
 humana
 stultitia
 est apud
 Deum.

In ipso vi-
 ta erat
 Ioh. 1.

pater cura non natura. Eadem est ratio cum matre virgine: nam
eam desponsatam fuisse Josepho seni docent Evangelistae; quae
priusquam convenisset cum Iosepho id est, priusquam ducta fuit
ab eo domum, sive ante nuptias, inventa est gravida è Spiritus
Sancti virtute: quod quia ignoravit Ioseph voluit eam dimitte-
re: sed admonitus ab Angelo eam duxit, à qua tamen abstinuit,
nimirum ex perpetuo virginitatis voto. Fuit itaque ille insigni pietate
senex, nomine quidem maritus Mariae dictus & habitus; sed re-
verà ut patris loco tutor & custos tenella puella. Quare nihil tibi
relinquitur; aut potius non conceditur cavillationis quicquam:
Mariam nuptam viro, dici virginem: Mariam sine congressu viri dici
gravidam, & puerperam nuncupari virginem: matrem factam esse &
permanere virginem. Noli ergo (licet mihi usque verbis uti, quibus
ille senex in Nicena Synodo Philosophastrum tui simile refutavit)
noli inquam & desine morosophe atrophe in his quae fide dun-
taxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis laborem frustra
consumere; querere vè quò ista fieri aut non fieri possint. ETH.
Intelligo te mihi silentium indicere, & finem contentionis facere; cum
videas te facillimè superari posse: quod ego non tam lubens quam
coactus faciam: interim tamen laudo tuam prudentiam; quòd cum
maximè absurda dixeris; & quae nullis rationibus defendi possint;
solam fidei possibilis & inevitabilis concludas: & his quasi re bene
gesta serio triumphas. Ego aliquid ex te didicisse volueram; propte-
rea enim huc veni; sed re ipsa experior seu te ipso teste, fundamen-
tum vestrae veritatis, non esse aliud nisi absurda etiam credere: sic ut
non injurià pronuntiavit Iulianus olim vestrae fidei professor: Ego
in omni vestra Philosophia nihil aliud reperio nisi tantum,
CREDO. Dic obsecro, quid aliud in hac contentione attulisti, nisi
testimonia, & fidem. Christus eo tempore nasci debuit: cur? quia ille
dixit, in hoc vel illo loco, cur? quia ille dixit, ex hac familia: cur?
quia ille dixit, ex qua matre? ex virgine. cur? quia ille dixit. Di-
cet aliquis; dubia haec & incerta animo meo videntur. CREDE
tantum CREDE fides faciet ut non dubites. Quam Achillea ar-

gumenta; quàm invincibiles rationes! ô vos Pythagorei non Pythagorei; mehercule nisi tu mihi Pythagoreū illud silentiū indixisses, perfecissem hujuscemodi vestrā professionē non solum stultam, & absurdā sed & impiam, & injuriam inferentem ceteris.

CHR. Moneo iterū ut sileas; temerè scrutari hæc tibi pagane nefas: mihi verò ad eadem respondere impietas. Audi ergo (nō enim me pudet ut eadē ex me audias) summā artem & scientiā Christianorū ignotā reliquis gentibus: Sperare dilata; & perseverare in hoc proposito ad finem quantum vis mundus & tota facies reclamare videatur. Non enim modò quæ ante pedes sunt, intueri nos oportet; sed altius est efferendus animus; & ea quæ invisibilia sunt, tanquā quæ ob oculos versantur, credere & expectare decet.

Quare, si eo sine (ut profiteris) me accessisti, ut ex me aliquid certi didicisse possis; mox ad ea de quibus te sciscitatum volo mox inquā responde. CREDIS nē ea de quibus differuimus non tantum propterea quod à quibusdā ita prædicta, ut ais, sint; sed etiā quia tali eventu comprobata?

ETH. Nescio: affirmare non possū quia animus dubia multa obijcit: neq; negare audeo; quia me tuo isto verbo CREDIS nē ita perturbasti; ut, etiam si à te daretur copiā contradicendū, vix queam: tam enim vehementes motus cordis sentio, ut eorum quæ contra differuerim, pudeat pigeatq;.

CHR. CREDIS nē? hoc tantum volo. responde. ETH. Interroga queso, quid ad hæc respondebit Iudæus? JUD. Etiam si vester Cato dicat; non credam. Tu nē me inconstantiorē Preteo existimas? CHR.

Tace reprobatum mancipium Diaboli; nihil hæc jam ad te: amissi enim tempus visitationis tuæ & adventus Messie: manet te alius Adventus Christi, sed magno tuo cum malo. Tu verò quia mihi statim assentiri non vis, facis quidē more humano; qui in re incerta, dubia, & gravi nihil inconsideratè aggredi cupis: quod quidē in hoc negotio non tã laudandū, quā concedendū esse duco.

Quare si libet (video enim te ancipiti animo, & in utramq; partē fluctuantem, ut nec tuo paganismo prorsus valedicere: nec nobis statim ad stipulari paratus sis) si libet inquā, concede mecū domū:

Interrogatio temeraria, & inconsulta responsio eandē merentur pœnam. Euseb.

Grave hoc verbum Credo, & difficile prolatum.

Coacta fi-
des non
est fides.
Proverb.
hoc apud
Sucton.
cap. 4. estq;
idē quod
εἰς κόραυς

ego te ad fidem in DEUM amplectendam cogere nolo. ETH. Re-
cte mones, nihil in sto, & facis ut par est: equum igitur est, ut pa-
riter morem tibi geram. Sed quonā tu discedis? noli me deserere
comitem. JUD. Abi Morboniam; ego tuus comes esse nolo. CHR.
Sine abeat flagitium hominum, & belua impurissima. Pergamus
nos. ETH. Dic amabo quae fuit caussa istius erroris inter vos & Iu-
daeos: si quidem illi quibus promissus fuit Messias negant venisse
eundem: vos autē affirmatis, cum tamen vobis nulla facta fuit
ejusdē promissio. Id ego prius ex te non quarebā: propositum enim
fuit meū demonstrationē ipsius adventus ex te cognoscere. CHR.
Longum hic esset texere totā historiam, unde hic error manarit:
hoc tamen inter eundum recensere possum. Messiam non pertinere
ad Iudaeos tantummodo, ut illi gloriantur; sed ad omnes homines:
non enim propter Iudaeos solum venit; sed ut servet qui perierant.
Perierant verò omnes, non soli Iudaei. Nam sic facta fuit in princi-
pio statim promissio Abrahamo in semine tuo benedicentur
omnes gente. Semen verò Abrahae est ille Messias: hunc etiā Ag-
geus vates nominat desideratum cunctis gentibus. De adven-
tu autem Messiae qualis futurus esset, dubitatio & error extitit
priusquam exhibitus fuit. Nam ut in historijs est, tempore Iannae
Hircani tres extiterunt inter Iudaeos haereses Phariseorum, Sadu-
ceorum, & Esseorum: per has, & potissimum per Phariseos subin-
de magis atq; magis obscurata est doctrina, non tantum Legis;
sed & Evangelij. Pharisei enim somniabant Messiam tantum fo-
re Filium Davidis, & Regnum habiturum Mundanum; qui po-
pulum Israël oppressum servitute & tyrannide Romanorum esset
vindicator: Ipsiq; restauraturus pristinam libertatem & ἀπο-
νομίαν. Hoc igitur errore correpti olim Iudaei etiam hac nostra
etate isti erronei dispersi laborāt. Sed nos dum sermones hosce pro-
trahimus etiam domum praeterijmus. Redeamus ergo: plura
apud me & prolixius audies. ETH. Fac ut uoles;
ego lubens subsequar.

F I N I S.



Jh 4245



X 22 MA 38

VD 17 AC





